



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvat̃is, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

397. De sancto Laurentio. Tres virtutes sancti Laurentij miraculis majores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

meique, dolorem de peccatis meis, abstractionem affectûs à terrenis, desiderium vivum cœlestium, diligentiam, verum solidumque profectum in omni virtute, præsertim victoria mei.

MEDITATIO CCCXCVII.

De S. Laurentio.

*Tres Virtutes sancti Laurentij
miraculis majores.*

Aspiciam S. Laurentium virtutibus illustriorem, quàm Hammis, inter quas sibi fuit præsentissimus. Petam eum imitari.

Conf. 1. Virtutem miraculo majorem esse Eleemosynam, D. Chrysostr. ad pop. hom. 36, *Hac major est gratia, quàm mortuos suscitare, esurientem pascere Christum, hic enim ipse Deo debes: eleemosyna verè Deum habet debitorem.* Id præstitit sanctus Laurentius facultates Ecclesiæ in pauperes distribuendo ante martyrium.

Conf. 2. Alteram virtutem miraculo majorem esse conversionem peccatoris, Ita S. Gregorius lib. 3. dial. cap. 17. *Majus est miraculum prædicationis Verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quàm à carne mortuum resuscitare: in isto enim resuscitatur caro iterum moritura, in illo verò anima æternum victura.* Id præstitit S. Laurentius in carcere

conversus

convertens homines, in quem, ut ipse perverteretur, fuerat inclusus.

Conf. 3. Tertiam Virtutem miraculo majorem esse patientiam, *signa Apostolatūs meū facta sunt super vos in omni patientia*, inquit Apostolus 2. ad Cor. 12. præponit patientiam postponit prodigia, quia sequitur *in signis, & prodigijs, & virtutibus*. Pati sponte est honorificum, quia à Christo honoratum: pati, quod evadere non possumus, Deo est tam gratum, ut humanitūs nequeat discerni, quid sit gratius sponte, vel necessitate pati; est enim hoc sanctificatum verbo Christi in extrema necessitate constituti, orantūque *Pater, si fieri potest, &c.* Ita Dominus S. Gertrudi lib. 3. cap. 70. Imò, qui compatitur alteri, particeps fit meriti illius, ut si pannus intingatur in crocum, quidquid cum panno intingitur, coloratur. Excelluit S. Laurentius in craticula in omni genere patientiæ. Cujus meritis & intercessione petiã, tam illustria virtutum exempla imitari, præsertim in tentationum flammis, presentiam mentis, Deique non amittere: ad quem sumendum in Venerabili, accedo vario tribulationum igni expositus Viator, & *Evheriastria est cibus viatorum, non circum,* inquit sanctus Villanova de Venerabili.